

25  
DEO TER OPT. TER MAX.  
ANNUENTE

*Disputationum Theologicarum,*

**IN QUIBUS FUN-  
DAMENTA VERÆ ET  
VIVIFICÆ CONSOLATIONIS PER  
Pontificias, Calvinianas ac Photinianas do-  
ctrinæ cœlestis corruptelas labefactari,  
ostenditur,**

*Q V A R T A.*  
Ad publicam συζήτησιν  
proposita

**JOHANNE GERHARDO  
S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET  
in Academia SALANA Professore.**

*Quam  
defendendam suscipiet*

**WILHELMUS GÖRINGIUS  
LAUCHENSIS THURING.**

*Ad diem Junii.*

*Horis & loco destinatis.*

*ANNO M. DC. XVII.*

T 162 (25)

*J E N Æ*

*Typis TOBIÆ STEINMANNI,*

ХАМ ЯТ ТЯ О Я Т О Б

ЭТИЕШИА

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

МУДРОСТЬЮ

ТЕ АЛЧУ А Т

Я ПРИОБРАЗИОВАЛ СВОЮ

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

А ЗЯ М А О

ОБРАЗОВАНИЕ

МОЛОДЫЙ

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

М К В О

ОБРАЗОВАНИЕ

W H I L E M I S G O T N G I T S

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ

# DISPUTATIO QUARTA.

THESES. I.

**R**EVERTIMUR ad hypothesin absolutæ reprobationis, ex qua porrò consequi dicimus.  
4. quod Calviniani Sacra menta negent esse causas instrumentales gratiae, remissionis peccatorum & salutis. Cūm n. statuant, absoluto quodam Dñi decreto aliquos rejectos, coguntur etiam statuere Sacra menta illorum respectu esse nuda duntaxat signa, non autem causas instrumentales, per quas efficaciter in illorum cordibus Deus operari velit. Cingl. in Confess. sua An. 30. art. 7. Credo, imo certò scio, *De Sacra mentis.*  
omnia Sacra menta tantum abesse, ut gratiam conferant, ut ne afferant quidem aut dispensent, Beza pag. 2. resp. ad Colloq. Mompelg. vocat palpabilem errorem, quo causativa, ut loquuntur scholastici, vis conferendæ gratiæ principalis quidem Deo, instrumentalis autem Sacra mentis tribuitur. Grynæus in disp. Heidelberg. Ann. 84. th. 21. vocat Papisticum commentum & πεπτον φεύδος, si quis dicat, Sacra menta vim justificandi & salvandi habere. Piscator. in Bibl. Germ. ad cap. 7. Act. doctr. 1. negat efficaciā salvandi in Sacra mentis, additâ ratione, quia sit in solo Deo.  
2. Contrarium demonstravimus tract. de Sacra mentis §. 55. ubi etiam §. 58. vitiosam oppositionem causæ principalis & instrumentalis refellimus, hoc loco monemus, quod per hanc assertionem Adversariorum, fundamentum consolationis ex usu Sacra mentorum petendæ labefactetur. Si enim Sacra menta illis duntaxat, qui in numero absolute electorum habentur, offerunt & ob signant quod signif. ant, reliquis verò scilicet absolute reprobatis sunt nuda duntaxat signa, ecquis Sacra mentorum usu fidem suam confirmare poterit? unde Bullingerus in c. 4. ad Rom. sic commentatur. Qui id dogmatis ex hoc loco assumunt, quod signa externa interioris hominis fidem fulciant, confirmant, imo & conferant, quis est, qui non videat, quoniam sic à Pauli instituto alienum. Illebrandus Concionator Anverpiensis in Conc. An. 67. habita. In usu Sacra mentorum nulla est consolatio proposita, ut Adversarii nostri Lutherani singunt & jactitant, cūm ea solummodo in verbo ante Sacra mentorum adhibitionem explicetur & exhibeatur.

A 2

3. Huc

3. Huc pertinent, quod negant Baptismum esse regenerationis medium, esse autem dicunt illius duntaxat signum ac sigillum, idque non aliis nisi absolutè electis. Statuunt enim 1. quod infantes Christianorum sint in fædere gratiæ ante Baptismum. 2. non tamen omnes, sed illi solum, qui sunt absolute Dei decreto electi. 3. quoddam reliqui, licet millies baptizentur, non tamen regenerentur. 4. Cum Baptismus non sit efficaciamedium, sed saltem signum & Symbolum regenerationis, idq; non nisi electis. 5. regenerationem autem illam dicunt non in Baptismo fieri, sed futuro demum tempore, ex auditu verbi in electis subsequi. 6. ideoq; de regeneratione & salute infantum non posse certi quid ex Baptismo statui, sed tantum probabiliter. 7. esse enim Baptismum duplicum externum & internum, eosq; causâ effidente, subjecto & tempore ita distinctos esse, ut non omnes illi infantes interiorē Baptismum percipiāt, qui exterius aquâ baptizantur. 8. cum gratia Dei sit libera & electio ad vitam absoluta.

4. Hanc esse genuinam illorum sententiam ostendimus tracto de Bapt. §. 117. ubi etiam nostram sententiam hypothesibus illis oppositam latè confirmavimus refutatis argumentis contrariis hoc loco illud monemus, quod per hasce hypotheses omnis consolatio ex Baptismo petenda penitus enervetur. Si enim Baptismus est nudum regenerationis signum & Symbolum, idque non nisi absolutè electis, ecquæ de regeneratione & receptione in fœdus gratiæ certitudo, vel quoad nos, vel quoad liberos nostros in infantili ætate mortuos ex Baptismo peti potest?

5. Neque hoc diffitentur Adversarii. Sic enim Beza in Colloq. Mompelg. pag. 435. Infantes meritò baptizantur, & adoptionis fructu donari probabiliter (nota probabiliter) censentur, relictis Deo arcans suis judiciis. Idem in præfat. part. 1. resp. ad Colloq. p. 24. Nunquam simpliciter dixi, Baptismum esse regenerationis in pueris ob-signationem, sed adoptionis ex formula fœderis, Ego Deus tuus, &c. nego, dixi, pueros vel aliquos, vel omnes re ipsa in illo Baptismi momento regenerari, sed regenerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato illum Baptismi actum in infantibus ex verbi auditu subsequi. (Nimirum in infantibus absolute Dei decreto electis, quod enim reliquos attinet, de illis sic loquitur in Mompelg. Colloq. p. 469.) Quos Dominus hoc modo non elegit, etiam si millies baptizentur externo aquæ Baptismo, illis tamen nunquam fidet, aut S. S. donantur, sed justo Dei iudicio relictæ suæ culpæ pereunt. Et part. 2. resp. ad Colloq. p. 119. Increduli signa tantum percipiunt, quæ tamen ipsis, ne signa quidem sunt gratia sed exitii illorum sigilla.

6. Hujus

6. Hujus loci & illud est, quod *infantes baptizatos fidem habere negent*, Beza in Colloq. Mompelg. pag. 435. *Infantes alienā fide baptizantur*. Sibr. Lubertus comm. ad 99. errores Vorstii p. 780. Deum decrevisse aliquos *infantes servare*, qui quam diu in hoc mundo peregrinantur, neq<sup>z</sup> crediderunt, neq<sup>z</sup> credunt, neq<sup>z</sup> credituri sunt. Atqui Scriptura fidem propriam & salutem immediato & indivulso nexu conjungit. Hab. 2.v.4. Johan. 3.v.18. Marc. 16.v.16. &c. aut ergo salus neganda infantibus, aut fides illis concedenda. Negatā autem baptizatis infantibus salute, quæ superstes esse poterit Parentibus consolatio?

7. Denique §. ex absolutæ reprobationis hypothesi consequitur, quod negant, omnibus & singulis ad sacram cœnam accendentibus mediante benedicto pane verum Christi corpus manducandum, & mediante benedicto vino verum Christi sangvinem bibendum exhiberi, sed illis duntaxat, qui absolute Dei decreto sunt electi. Cūm enim juxta ipsorum hypothesis Christus non sit datus reprobis, nec pro illis sangvinem suum effuderit, neque quicquam suā oboedientiā & satisfactione illis acquisiverit, quippe quam pro solis absolute electis præstigit, inde necessariò sequitur, illis in sacra Cœna non exhiberi corpus Christi pro solis electis in mortem traditum, nec Christi sangvinem pro solis electis in ara crucis effusum. Nudum igitur panem & solum vinum accipiunt, cūm res cœlestis corpus scil. & sangvis Christi ad illos nullâ ratione pertineant.

8. At positâ illâ hypothesi perit omnis consolatio ex usu sacræ Cœnæ petenda. Si enim illis solum, qui absolute decreto sunt electi, panis Eucharisticus est *noīōvīa corporis*, & vinum Eucharisticum est *noīōvīa sangvinis Christi*, utique nemo poterit esse certus, exhiberi sibi corpus & sangvinem Christi in sacra Cœna, cūm nesciat an sit in numero illorum, quos absolute & abscondito Dei decreto electos esse audit.

9. Hūc pertinet, quod realē & substantiale illam corporis & sangvinis Christi præsentiam, quam nostræ Ecclesiæ asserunt, in sacra Cœna negant, & tñm ac relativam, quandam præsentiam illi substituent, ut ostendimus tract. de Euchar. §. 104. & seqq. at negatâ substanciali præsentia tolluntur suavissimæ consolationes ex ea profuentes.

10. Eas D. Chemnitius in scripto de Cœna cap. 11. pag. 462. dulcissimis verbis ex veterum Scriptis maximam partem petitis

enumerat. Primo ( inquit ) fides nostra debet apprehendere Christum Deum & hominem in ea Natura, quâ propinquus, cognatus & frater noster est, vita n. quæ divinitatis est propria, in assumta carne residet, & quasi deposita est. Quia igitur onere peccatorum pressi ad Christum in gloria regnante penetrare non possumus, ideo ad nos venit, apprehensurus nos eâ Naturâ, quâ frater noster est, &c. 2. Per peccatum eramus alienati, à vita divinitatis, ut fragilitas nostra eam sine medio agentem secum ferre non possit, ideo Christus non solum assumpsit Naturam nostram, sed illam etiam nobis rursus restituit præbendo nobis in Cœna corpus ac sanguinem suum, ut hoc nexu assumtæ, & nobis rursum communicatæ humanitatis suæ subvehat, nos ad communionem & conjunctionem cum divinitate. 3. Per lapsum non tantum bona divina amisimus, sed Natura nostra peccato depravata & morte perdita est. Filius igitur Dei Naturam nostram, sed sine peccato assumpsit, in ea peccatum damnavit, mortem destruxit, ac vita eam replevit, atq[ue] ita Naturam humanam primum in sua persona sanctificavit, ut autem certi redderemur, hæc ad nostram etiam miseram Naturam in nobis pertinere, & verè nobis communicari, Christus ipsam Naturam, quam à nobis assumpsit, & in se primo reparavit, rursus nobis in Cœna præbet. 4. Evangelii doctrina in genere pronunciat, traditione corporis & effusione sanguinis Christi placitam esse iram Patris, & æternam redemtionem acquisitam: sed quia anxie & pavide mentes conspectu peccatorum, indignatus, infirmatus & variis tensionibus terrentur & perturbantur, ut de speciali applicatione dubitare incipiunt, ideo Christus illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, ac illum ipsum sanguinem, qui pro nobis effusus est, in Cœna illius exhibet, & hoc arthabone exhibitionem & applicationem promissionis Evangelicæ confirmat. 5. Humana Natura Christi depositum infirmitatibus residet in gloria Patris, nostra Natura, licet juxta promissionem spem habeamus glorificationis, tamen adhuc sordibus inquinata, miseriis oppressa, & omnibus telis Satanæ mundi & carnis est exposita, Ne igitur nostra fides turbetur, ideo Christus suum corpus & sanguinem præbet, ut hoc pigmento nos certos reddat, fore ut aliquando conformemur corpori ipsius gloriose. 6. Novum Testamentum est fœdus gratiae in remissionem peccatorum, hoc fœdus erga Deum sanctum & confirmatum est Christi sanguine. Ut igitur certi esse possemus, nos in isto fœdere perpetuò mansuros, ideo illum ipsum sanguinem, cuius effusione id sanctum est, in Cœna nobis exhibet. 7. Instituta est sacra Cœna in recordationem beneficiorum CHRISTI & confirmationem nostræ fidei. Quia autem vera fides à Christo firmius apprehenditur Philipp. 3, vers. 12, ideo apprehensione vivificæ juæ carnis puls

vult in nobis exuscitare, conservare & confirmare veram sui recordationem.  
8. Christus in Cœna et Naturâ, quæ caput nostrum est corpore scilicet &  
sangvine suo se arctissimè nobis conjungit, ideo per assumtam illam & nobis  
cognatam Naturam potenter & efficaciter in credentibus operatur, ut quia  
ipsum caput est in nobis, nos etiam invicem simus alter alterius membra.  
Hæc D. Chemnicius; quæ omnia uno imperio corrunt, si statua-  
tur C H R I S T U M secundum eam Naturam, juxta quam frater  
noster est, non esse in Cœna, quæ in his terris celebratur præ-  
sentem.

11. Ex his omnibus concludimus, doctrinam Calvinianorum  
de absolute reprobationis decreto evertere fundamentum  
consolationis in Evangelio de Christo nobis propositæ. Quòd  
enim tentatum de fidei infirmitate ac cogitationibus de electio-  
ne perturbatum revocabunt & num ad infinitam Dei misericor-  
diæ & atqui illa per absolute reprobationis decretum ad pau-  
cos duntaxat restringitur. Num ad meritum Christi & atqui  
illud itidem ad paucos duntaxat restringunt, docentes Christum  
non pro omnibus hominibus, sed pro solis electis esse mortuum;  
Num ad vocationem per verbum & atqui docent, multos exterius  
per verbum vocari, quos absolute decreto Deus rejicerit, ac pro-  
inde voluntate absconditæ & beneplaciti eos convertere, adeo-  
que ad se venire nolit. Num ad promissiones Evangelii & atqui  
docent, eas non esse Universales, sed ad solos absolute electos  
pertinere. Num ad ministerium verbi & Sacramentorum &  
atqui docent, in ministerio externo nihil divinæ ac spiritualis  
virtutis esse? Num ad Baptismum & atqui docent, in solis absolute  
electis regenerationem per eum ob-signari. Num ad usum  
sacrae Cœnae & at docent, solis electis corpus & sanguinem Chri-  
sti exhiberi. Num ad fidei sensum & atqui ille in temptationibus  
sepius suspicere occurrit. Num ad fidei indicia & at quæcunque  
proferunt, ea ostendi possunt in illis, qui à gratia Dei  
postea per peccata contra conscientiam exciderunt, jam verò ta-  
les ex hypothesi adversariorum non habuerunt veram fidem. Nul-  
lum igitur misero illi tentato supererit refugium, sed concludet, se  
esse ex numero reproborum, quibus juxta hypothesis adversario-  
rum nulla consolatio instillari potest.

12. Re-

12. Referri huc possunt etiam aliae corruptelæ, quibus consolationis fundamenta obliquè enervantur, utpote quando docent.  
1. fidem non esse partem pœnitentiae. Calv.lib.3.Instit.cap.3 §.5.Martyr.  
class.3.loc.cap.8.p.603.Bucan.in locis. p.288.Pelargus in Comp.  
Theol.correcto pag.522. 2. Bona opera esse necessaria ad salutem, ut  
causam instrumentalem efficientem ac medium. Zanch.5.de Nat. Dei c.  
2.p.670.Sohn.tom.2.exeges.p.871.Piscat.in corol.cap.1.ad Eph.  
ad v.4.quibus hypothesis, quomodo Evangelica consolatio labefactetur, ostensum fuit superius. 3. ritum privatæ confessionis &  
absolutionis in Ecclesia abrogant, quâ ratione etiam consolationem,  
quâm territæ conscientiæ ex ea petere possunt, tollunt. Fataemur  
tamen moderatores eam relinquere liberam. 4. sacram Cœnam  
in privatis ædibus administrandam negant. Beza pag.2.qq.& resp. q.  
242.Aret.part.1.probl.82.&c. quâ ratione adimitur ægrotis consolatio,  
& fidei confirmatio, ex usu sacra Cœna petenda. Vide loc.  
de Euchar. §.256.

13. Huc etiam referimus 1. quod sanginem Christi in ara crucis  
pro peccatis nostris effusum computruisse statuunt Curæus in Exegesi.  
Perkins in Cathol.reform.controv.10.cap.3.arg.4.&c. Atqui si  
sangvis Christi in ara crucis effusus computruit, non potuit esse  
premium nostræ redēctionis, quia ut disertè afferit Petrus 1.Epst.  
1.v.18. ε φωτιστοις redēm̄ i sumus. Et quæ superstes erit consolatio ex  
effusione sangvinis Christi petenda, si negatur esse redēctionis  
nōstræ premium. 2. quod carnem Christi nihil prodeſſe dicunt Cinglius lib.de vera & fals relig.fol.204. Christus nobis eā parte salutaris  
est, quâ de cœlo descendit, nō quâ ex illibatissima virgine natus est. Gualth.  
in comm.super Johan.f.117. Christus suam carnem prodeſſe negat. At  
si caro Christi nihil prodeſſt, quomodo potuit dari pro mundi vi-  
ta, quomodo potuit esse ἀντίληφη pro peccatis, quomodo ex ea,  
& per eam vita ad nos descendit? 3. quod omnipotentiam Dei  
eo modo reſtrīgant, ut negent per eam fieri posse, ut corpus Christi sit  
& maneat verum corpus, ac nihilominus sit in pluribus locis præſens. Beza  
in Colloq.Mompelg.p.33.Martyr in Orotete.p.8.&c. At si ita  
reſtrīgitur divina omnipotentia, ut efficere nequeat ea, quæ ra-  
tioni nostræ videntur contradictoria, labefactatur necessariæ  
consolationis fundamento, sæpè enim in periculis non videmus  
modum, quo liberatio nobis obtingere poſſit.

14. Sed

14. Sed prætermis s his ac similibus corruptelis illud denuo  
repetimus, hypothesis de absoluto reprobationis decreto pluri-  
morum gravissimorum errorum, ac perpetuarum dubitationum  
esse fontem, ac benè speramus, cùm quidam Adversariorum illam  
hypothesis rejicerint, fore ut errores ex illa ortos itidem reji-  
ciant, & divinam veritatem in Scripturis sacris manifestatam  
grato corde nobiscum agnoscant.

15. Videamus verò, quam nobis de fundamento Evangelicæ *πρεδεστι-*  
*νατιονα* consolationis subruto accusationem intentent. 1. Existi- nobis inten-  
mant per doctrinam nostram, quod fidei intuitus ingredia- ta.  
tur electionis decretum, consolationem ex hoc articulo peten-  
dam labefactari. Zanchius lib. 5. de Natura D e i cap. 2. pag. 630. Prædestinatio est certa, esse autem certam & cum conditione (fidei) tationata.  
pugnantia sunt. pag. 631. Sententia hæc totam evertit prædestinationem.  
Si enim conditionalis est, non est firmum decretum. Conditionalis enim nihil  
affirmat, sed omnia reddit incerta. Si item conditionalis est, non est tota gra-  
tuita, neq; secundum solum Dei beneplacitum. Contraremonstratenses  
in Collat. Hagæ Comitis instituta Anno 611. pag. 49. Cùm fides ho-  
minis prævisa, ut conditio in homine antecedens, quam Deus in eligendo re-  
spexit statuitur, salus hominis eâ ratione incerta redditur, ac non tantum  
Deus honore suo, sed & homo certa sua, tam in vita, quam in morte consola-  
tione privatur. pag. 64. Si elecio est conditionalis, erit infirma & in-  
certa.

16. Resp. 1. Scriptura fidei *πρεδεστινα* electionis decreto diser-  
tè includit. Electio facta est in Christo Ephes. 1. v. 4. In Christo  
non sumus, nisi per fidem, & Christus non est in nobis nisi per fidem  
Ephes. 3 v. 17. Ergo non nisi μένοντες πιστεύειν 1. Tim. 1. v. 16. sunt ele-  
cti. Ut Deus elegisse nos dicitur in Christo Ephes. 1. vers. 4 ita  
quoque elegisse nos dicitur in fide 2 Thess. 2. v. 13. quia in Christo  
eligi non potuimus, nisi sub fidei Christum apprehendentis in-  
tuitu. Jacob. 2. v. 5 elegit Deus pauperes, divites in fide, atque hæc est  
illa *πρεδεστινα* fidem sc. respiciens, cuius in decreto electionis fit  
mentio Rom. 8. v. 29. 1. Pet. 1. v. 1.

17. 2. Nequaquam vero per hanc manifestam Scripturæ asser-  
tionem labefactatur electionis certitudo sive respectu nostri, sive  
respectu Dei ea consideretur. Scribit quidem Zanchius pag. 630.  
col. 2. hac nostrâ, (quæ ipsius Scripturæ est) doctrinâ & gratiam & præ-  
scientiam Dei tolli. Quid enim est ( inquit ) Deum nos ad vitam æternam

B

prædesti-

*prædestinasse ex conditione, si crediderimus, nisi ex fide nostra, eaq; Deus  
ignota & incerta. Sed judicamus nulli vere pio & Christiano af-  
fertionem illam probari posse. Num enim eò audaciæ & impu-  
dentiæ quisquam progredietur, ut neget Dei ab æterno exactissi-  
mè in luce omniscientiæ constitisse, quinam credituri erant,  
quivè non credituri? Quid clarius illo Davidico Psalm. 139. vers.  
2. Intellexisti cogitationem meam פָּנָים רַבָּה longe, id est, antequam  
in corde meo oriatur, jam verò quæcunque Deus novit, illa certò  
& immutabiliter novit. Si dicat Zanchius, ex nostra sententia con-  
ditionem illam esse ignorantiam & incertam, luculentam nobis facit inju-  
riam, cùm nemini nostrum illud asserere in mentem ve-  
nerit.*

18. 3. Sed nec respectu nostri per conditionem fidei tollitur  
electionis certitudo. Justificatio enim sit per fidem, ut ipsi ad-  
versarii concedunt, & tamen dicere nequeunt, quod conditio illa  
fidei tollat certitudinem justificationis, nisi Pontificiam dubita-  
tionem amplecti velint. Conatur quidem Zanchius probare diver-  
situdinem esse inter decretum prædestinationis & ejus in predicatione Evan-  
geliæ & justificatione manifestationem, sed ea omnia procedunt ex falsa  
hypothesi absolutæ electionis. Nos urgemos exactissimā decreti &  
executionis harmoniā, cuius fundamentum est divinæ voluntatis  
immutabilitas. Quo modo in tempore Deus homines justificat  
& salvat, eo modo factum est æternum de salute ipsorum decre-  
tum, quod dicitur electio, quia quæ in tempore Deus agit, sicut  
manifestatio eorum, quæ ab æterno agere decrevit. Jam verò  
Deus in tempore non nisi per fidem justificat & salvat homines.  
Ergo etiam ab æterno decrevit, non nisi credituros justificare &  
salvare, & per consequens illos solos & omnes elegit, quos per fi-  
dem in Christo mansuros prævidit.

19. 4. Nec per fidei conditionem gratuita electio labefacta-  
tur. Deus in tempore nos gratis propter Christum justificat,  
nihilo tamen minus justificatio sit per fidem. Deus gratis nos  
salvat, & tamen virtute Dei custodimur per fidem ad salutem. I. Pet. I. v. 5.  
Meritum & conditio meriti opponitur gratuito, sed τὰξ medio-  
rum divinitas institutorum, nequaquam efficit, quod vel electio  
vel justificatio, non amplius sit gratuita.

20. 5. Conditio fidei opponitur absoluto electionis decreto,  
quod ipsum, si Zanchius nomine certæ electionis intellectum  
voluit,

voluit; non inficiamur illud assertione nostrâ de ~~negatione~~ fidei everti. Sed Scriptura electionis certitudinem ita nobis commendat, ut tamen absolutam aliquam vel electionem vel reprobacionem nusquam proponat.

21. 2. Accusant nos, quod per doctrinam nostram, (cujus veritatem in hac questione Remonstratenses in Belgio agnoscant) <sup>2. De amissione gratiae</sup> qua statuimus verè renatos & credentes per peccata contra conscientiam gratiâ Dei & remissione peccatorum, iterum excidere posse, certitudinem salutis labefactemus, inde Casmannus in lucta peccatoris cap. 13. p. 326. & seqq. argumenta nostra, quibus probamus veram fidem per peccata contra conscientiam amitti, & S.S. exenti posse, Diabolo Tentatori tribuit, qui ea in specie asigillatim commemorat, ut illis salutis certitudinem in piorum cordibus labefactet.

22. Bellarmino itidem videtur, non posse defendi certitudinem prædestinationis absq; illa Calvinianorum hypothesi, quod vera fides duntaxat electis detur ac semel data, nunquam amitti iterum possit, unde libr. 3. de Justificat. cap. 14. sic scribit. *Quamvis Chemni:cius aperte doceat, posse justum interdum labi, et amen sentire videtur non posse fieri, quin ante mortem redeat ad fidem.* Certe cogit error ille de fide prædestinationis, ut credant, nullum fidem esse posse reprobum, nisi secum ipsi aperiissime pugnare velint, quomodo enim ex fide certos esse dicent omnes fideles de sua prædestinatione, si crederent fideles aliquos in æternum perire posse?

23. Responderemus 1. sententia Ecclesiarum nostrarum disertis verbis exposita, extat in August. Confess. art. 12. *Damnam Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere spiritum sanctum.* Eandem immotis fundamentis confirmavimus, refutatis contrariis Adversariorum argumentis in tractat. de bonis operibus §. 134.

24. 2. Neq; vero per hanc nostram, inlò ipsius Scripturæ sententiam consolationis Evangelie & fundamentum tollitur, nec certitudo gratiæ divinæ, justificationis & salutis labefactatur, nec Pontificia dubitatio introducitur, ut ostensum fuit in tractat. de Elect. §. 184. 207. 210.

25. 3. Quod enim Pontificiam dubitationem attinet, illa à nobis, ac nostra sententia est alienissima. Disputant Pontificii, neminem posse, esse certum de gratia Dei justificatione & salute

in tempore præsente, contrarium suo loco demonstratum fuit, nimirum quod verâ ac firma fide ex Evangelij promissionibus Sacramentorum sigillo confirmatis, & interiore Spiritus sancti testimoniō obsignatis verè pii certò statuere debeant se esse in Dei gratia & remissionem peccatorum propter Christum verè ac certò ipsis obtингere.

26. 4. Si dicas, finalis perseverantiae & actualis introductionis in plenam vitâ æternâ possessionem post mortem demum sperrandæ, ac cum perseverantia finali immediato nexu conjunctæ certitudinem assertione illâ nostrâ, quod vera fides per peccata contra conscientiam amitti possit, labefactari breviter respondeo, Spiritus sanctus nusquam in Scripturis docet talem absolutam electionis & salutis certitudinem, quod semel renati & Spiritu sancto donati non possint ullâ ratione in posterum in hac vita amittere fidem & Spiritus sancti inhabitacionem, etiamsi ruant in sceleris contra conscientiam & carnis concupiscentiis securè indulgeant, frustra igitur talis consolatio in Scripturis queritur.

27. 5. Neque tamen negatâ tali electionis absolutâ certitudine protinus omnis certitudo tollitur & Pontificia dubitatio introducitur. Distinguendum enim inter certitudinem Spiritus & securitatem carnis; inter certitudinem limitatam in verbo manifestatam & certitudinem absolutam, in abscondito electionis decreto fundatam. Priorem asserimus, posteriorem negamus. Filius familiâs certus est de paterna hereditate, idem tamen suâ culpâ potest hereditate iterum excidere.

28. 6. Nimirum certos nos fecit Deus de salute benignissimis suis promissionibus, de sua bonitate, fidelitate, veracitate, ac omnipotencia. Iohann. 10. v. 28. Oves meas nemo rapiet de manu mea v. 29. Pater meus, qui dedit mihi eas, major omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Rom. 8. v. 28. Æquum etenim sunt, τὰ χαρίσματα, ἐγù ἡ ελεηστή τε θεός. I Cor. 10. v. 13. Fidelis est Deus, qui non sine vos tentari supra id, quod potestis sufferre, sed dabit tentationi τὴν ἔκστασιν, ut possitis sufferre. Philipp. 1. v. 6. Confidens hoc ipsum, quia qui capiat in vobis opus bonum, perficiet usq; in diem Iesu Christi. cap 2. v. 13. Deus est, qui operatur in vobis, & velle & perficere probona sua voluntate. 2. Tim. 1. v. 12. Scio cui credidi & certus sum, quod si posse depositum suum conservare usq; ad diem illum, &c. nequaquam vero voluit nos esse carnaliter securos.

25

ac filialis timoris expertes. Promissiones Dei infallibiles, ac certæ liberant nos à dubitatione & incertitudine, sed adhortationes & comminationes ipsius revocant nos à carnali securitate. Ita ergo de salute simus fide ac spiritu certi, ut non simus carnaliter securi, ideo Apostolus utrumque conjungit Philipp. 2. v. 12. cum timore ac tremore operemini salutem vestram v. 13. Deus enim est, qui operatur in vobis regi τὸ δέλαιν τὸ ἐργεῖν.

29. 7. Executiatur Codex Biblicus à capite ad calcem usque, nusquam in eo invenietur, electos describi ab absoluto quodam Dei decreto, quo conserventur in fide & Dei gratia, etiamsi in peccata contra conscientiam proroverentur, sed perpetuo describuntur à constantia in fide & sanctitatis studio, à vera pœnitentia, quâ post lapsus iterum resurgunt, ac cum Deo in gratiam redeunt, & à perseverantia in sancta erga Deum obœdientia & vera in Christum fide. Osee 2. v. 19. Sponsabo te mihi in sempiternum, sed additur, sponsabo te mihi in fide & cognoscere Dominum. Johan. 15. v. 5. sumus palmites in Christo, sed tamen vers. 6. si quis in eo non manserit, mittetur foras & arescit, & colligent eum & in ignem mittent & ardet. Coloss. 1. v. 21. Pii sunt Deo reconciliati, quos exhibebit sibi immaculatos sed tamen vers. 23. si permanerint in fide fundari ac stabiles & immobiles à spe Evangelii. 2. Tim. 2. v. 19. Firmum stat fundamentum Dei habens signaculum hoc cognovit Dominus, qui sunt sui. sed tamen discedat ab ini-quitate omnis, qui invocat nomen Domini vers. 21. si quis ab his se emunda- verit, erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino ad omne opus bo-num paratum. Hebr. 3. v. 6. domus Dei sumus, sed additur, si fiduciam & gloriam spei usq; ad finem firmiter retineamus. Apoc. 2. v. 10. promittit Christus, dabo tibi coronam vitae, sed præmittit, esto fidelis usq; ad mor-tem. & cap. 3. v. 11. tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.

30. 8. Renati & justificati non statim ita confirmantur in bono sicut Angeli sancti, nec in eum transferuntur statum, in quo sint à Diaboli, mundi & carnis oppugnationib. adeoque ab omni accepta beneficia spiritualia, iterum amittendi periculo penitus immunes, sed circumferunt adhuc reliquias vetustatis carnis, quæ est seductionis fomes versantur in mundo seductionis domo, potentem habent adversarium, qui est seductionis Pater ac saluti ipsorum strenue insidiatur, ideo cum firma cordis fiducia ex spiritu perfecta, conjunctus adhuc esse debet in cordibus ipsorum timor filialis, propterea quod sciant, se thesaurum suum, quam-

diu in hac vita constituti sunt portare in vasis fidilibus, ut Cor. 10. v. 3.  
Sed & pures virtutis illius, qua ad salutem conservantur, sic Dei. Et non ex  
ipsis 2. Cor. 4. v. 7.

31. Ex fide igitur statuant ac certò statuant, se esse in Dei gratia  
ac salutis in Christo participes, interim tamen perseverent in audi-  
tu ac pia meditatione verbī, in usū salutari Sacramentorum, quæ  
sunt media ad fidem alendam & conservandam divinitus institu-  
ta; seriis gemitibus petant donum perseverantiae & abjectâ omni  
carnali securitate, vivant in sincero ac filiali Deitimore, repu-  
gnent concupiscentiis carnis & Spiritu actiones ejus mortificant,  
si præoccupentur lapsu quodam, si ad avia declinant, non perseve-  
rent in cursu peccatorum, sed statim per pœnitentiam resurgent  
& in viam redeant, seq; divinitus per Spiritum S. in pietatis studio  
regi petant; ita de salute sua poterunt esse certi, nec tamen carnali-  
ter securi.

32. 9. Summa eò redit, quod in negotio salutis à cogitationib.  
de abscondito & absoluto quodam decreto animus revocandus  
sit ad mysterium salutis in verbo revelatū & ad voluntatem Dei in  
Evangelio patefactam. Quemadmodum Deus non dat fidem &  
Spiritum S. immediate & ex absoluto decreto, sed per verbum &  
Sacramenta: ita quoq; pios in fide ad finem usq; *εἰς σωτηρίαν* con-  
servat non immediate, nec ex absoluto quodam decreto, propter  
quod in gratia ipsius maneant, etiamsi contra conscientiam pec-  
cent, sed per verbum & Sacramenta, per quæ media Spiritus S. ad  
perseverantiā finalem & plenā salutis possessionē in illis est efficax.

33. Nec est, quod urgeas, conditionem perseverantiae esse in-  
certam, proinde etiam ipsam salutem & electionem. Ipsa n. pro-  
missio perseverantiae renatis & verè credentibus in se ac per se sa-  
tis certa est, cùm nitatur Dei bonitate, fidelitate, veracitate, omni-  
potentiā, firmā igitur fide promissiones Dei amplecti ac donum  
perseverantiae fiducialiter a Deo petere ac de ex auditione certi  
esse possumus, interim tamen si quis velit media fidei alenda &  
conservanda securè negligere, concupiscentiis carnis liberè fre-  
num laxare & in peccata contra conscientiam prolapsus in ijsdem  
perseverare, is propriā culpa promissionem de perseverantia sibi  
inutilem & inefficacem reddit, id quod promissionis ipsius certi-  
tudinem nulla ex parte labefactat, quæ omnia ex seriis pietatis,  
precum & verbi exercitiis in temptationibus rectius intelliguntur,  
quam ex verbolis Disputationibus.

34. 3. Ac-

34. 3. Accusant nos, quod per doctrinam de reali idiomatum communicatione ac cum primis de omnipresente Christi hominis in celo ac terra dominio verae humanitatis in Christo negationem introducamus, negata vero Christi humanitate fundamentum omnis consolationis labefactari. Si non verus homo est (inquietum) quomodo frater erit.

35. Inde est, quod Crypto Calviniani Witeberg. in Synodo Dresdensi Anno 71. sic statuerunt. Præcipuum fidei nostræ & Ecclesiæ caput, videlicet articulum de duabus Naturis in Christo commentariæ reali & physicâ (ecquis vero nostrum physicam communicationem somniavit?) in ipsis Naturis communicatione depravari horribiliter, atq; è contrario hæreses, jam olim damnatas Marcionitarum, Valentianorum, Manichaorum, Samosatenianorum, Sabellianorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum ac Monothelitarum reduci ac renovari, alibi sc. in Pseudostereomate demonstratum est. Ac Sadeel realem idiomatum communicationem oppugnaturus titulum libri fecit de veritate humana naturæ in Christo præsupponens sc. per realem idiomatum communicationem veritatem humanitatis in Christo negari. Ursinus part. 2. explicat. Catechet. pag. 338 sic scribit. Coronidis loco juvenes obseruent tres pestilentissimas herbas crescentes in borto Ubiquario, Nestorianismum, Eutychianismum & Arianismum. Ubi meritò aliquis miretur, cur illi homines fraternitatem eorum expertant, per quos ipsius Christi humanitatem & consequenter etiam eam, quam nobiscum habet, fraternitatem negari existimant?

36. Ex eodem fonte profluxit grave illud ἐγκλημα Bellarmini lib. 3. de Christo cap. 1. Lutherani (inquit) duo docent, ex quibus sequitur, eos vel esse Eutychianos vel Nestorianos, vel monstros ex utraq; hæresi compositum. Primo dicunt, Christi carnem habere attributa divinitatis, atque in præsencia omnis presentiam, secundo dicunt hypostaticam unionem consistere in ista communicatione. Si volunt ista attributa conjungi essentialiter humanitati, sunt Eutychiani; si accidentaliter, sunt Nestoriani.

37. At nec unicè nec in primis omnipresentiam Christo secundum humanam Naturam competere dicimus, sed unà etiam omniscientiam, omnipotentiam, vim vivificandi, judicium exercendi, &c. nec subjectivè carnem Christi divina attributa habere dicimus, nec essentialiter vel accidentaliter illa attributa humanitati conjungi dicimus, sed personaliter ea humana Christi Na-

tura.

turæ tribui pronunciamus; nec hypostaticam unionem in ista communicatione formaliter consistere dicimus, sed communicationem illam esse unionis consequens asserimus, ut sic quatuor falsas hypotheses Bellarminus vel ex ignorantia, vel ex malitia in sententiæ nostræ explicatione nobis tribuat.

38. Ad accusationem de negata verâ Christi humanitate, respondemus 1. nos non ore solùm & corde veram Christi humanitatem in ipso exaltationis statu fateri, sed etiâ anathema dicere Eutychi, Suenfeldio & omnibus veteribus ac recentioribus hæreticis, qui vel directè vel obliquè eam negent. Dicimus cum Hilario libr. 9. de Trin. pag. 160. *Nescit planè nescit vitam suam, qui Christum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat.*

39. 2. Ex assertione de reali idiomatum communicatione non potest inferri, quod per eam negetur humanæ Naturæ veritas, quia Scriptura utrumque nobis credendum proponit, ut suo loco pleniùs demonstravimus. Quamvis igitur rationi Adversariorum hæc videantur sibi invicem repugnare, tamen reverâ invicem non pugnant, quia in articulis fidei propter apparentem absurditatem vel contradictionem rationis non est à litera Scripturæ recedendum, sed captivandus potius intellectus sub Christi obsequium 2. Cor. 10. v. 5.

40. 3. Nequaquam statuimus essentiale transfusionem divinorum idiomatum in Naturam humanam, nec dicimus humanam Naturam esse mutatam in divinam, nec propria divinæ Naturæ subjectivè & habitualiter in humana Natura hære dicimus, nec humanam Christi Naturam quadam essentiæ suæ infinitate vel quantitatib[us] extensione in cœlo ac terra præsentem dominari dicimus, sed personalem divinorum idiomatum carni factam & exaltationem ad Dei dextram secundūm humanam Naturam Christo obtigisse ex immotis Scripturæ fundamentis defendimus, per quæ humanæ Naturæ veritas neutiquam revertitur.

41. 4. Quòd si enim salvâ essentiæ suæ veritate & finitate humana Natura in infinitam Λόγον τόσας evehi potuit, ita ut Verbi hypostasis verè sit facta carnis τόσας, utiq; etiam veritatem & finitatem essentiæ in humana Christi Natura, neutiquam destruet personalis divinorum idiomatum communicatio unionis personalis consequens.

42. 5. Vi-

42. §. Videant autem Adversarii, quomodo excusare velint illud Zanchii, quod libr. 2. de Natura Dei cap. 6. pag. 138. scribit, *Christum sua Deitate, quā ubique est, corpus sibi novum formasse atque sub illo in iheris Paulo apparuisse, suo naturali corpore interim in cœlo relicto, ne humanæ Christi Naturæ veritas per illam assertionem revertatur.*

43. 6. Maturè etiam cogitent, an non ipsimet consolationem ex eo, quod Christus verus homo ac frater noster sit Mediator noster quadammodo labefactent, dum statuunt, Christum secundum divinam duntaxat Naturam suam, quæ est ignis consumens, nobis in his terris in temptationibus ac periculis constitutis esse præsentem, sed humanam ejus Naturam, juxta quam frater noster est tantum à nobis abesse, quantum distat summum cœlum ab infima terra, dumque negant, Christum etiam secundum humanam Naturam à nobis adorandum esse, adeo ut novissimè Pelargus in Comp. suo Theol. correcto, rectius depravato scribat pag. 372. *Carnem Christi esse adorationis objectum improprium & falsum, cui opponimus illud Vorstii in resp. ad 2. part. d. lcept. Sladi pag. 15. Adorandum & iuvocandum esse Christum religiosè, etiam quā homo est, non tantum ex S. literis, sed etiam ex nostris Doctorib. ostendi potest, ubi adducit illud Zanchii de incarn. p. 226. edit. anno 93. Scriptura aperte tradit, Christum Deum & hominem simul eōq[ue] totum, sine carni exceptione adorandum esse & iuvocandum.*

44. 4. Quod negata fatali rerum omnium necessitate ex divina præscientia & decreto descendente, fundamentum consolationis in adversis necessariæ labefactemus. Calv. lib. 3. Instit. c. 23. sect. 6. non aliā ratione Deus futura prævidet, nisi quia ita ut fierent, decrevit. Piscat. volum. 1. disp. de provid. thes. 10. Causæ secundæ, quæ sua Natura sunt indefinitæ & in utramq[ue] partem propendent, à Deo in æterno ejus consilio ad unam tantum partem definitæ sunt, & ad hanc ipsam suo tempore à Deo inclinantur. Hoc dogmate negato consolationem tolli existimant. Sic n. Beza parte 2. resp. ad Colloq. p. 183. Si dicitur Deus tantum permittere peccata, sequitur abnegatio specialis providentiae divinae, quasi vel multa fiant imprudente & non curante Deo, vel quasi Satanæ moliri possit contra Ecclesiam, quæ ei libuerit, licet persecere non possit.

45. Sed contra hanc hypothesisin pugnavimus in tractat. de Provid. §. 37. & seqq. Nec per nostram de divina providentia doctrinam

*Ceteram consolatio in adversis labefactatur, non enim Deum statuimus otiosum spectatorem in malis hominum actionibus, sed septem statuimus modos quibus divina providentia in illis concurrat, videlicet praesciendo, Naturam sustentando, permittendo, deserendo, Satanæ tradendo, metas praefiniendo, ac bonum ex illis eliciendo, quæ omnia latè sunt exposita d. tr. §. 86. & seqq.*

46. Permissio igitur illa divina quam statuimus in malis hominum actionib. non est imprudentis; cùm peccata hominum nōrit Deus, eaq; non im pediat, licet impedire possit, sed rationib. sapientissimis adductus permittit, quia sc. bonum ex illis elicere novit; nec est simpliciter inviti, si termino invitum intelligatur <sup>lò</sup> ~~lò~~ <sup>bis</sup> ~~bis~~, ut n. Deus neminē ad peccatum cogit, ita quoq; nemo cogit Deum suis peccatis, improbat tamen Deus ac detestatur peccata, ac proinde ea non velle rectissimè dicitur; nec est non curantis, cùm Deus malis actionib. metas praefiniat & bonum ex illis eliceat, neq; est Satanæ & impiorum molitionib. liberum campū aperientū, cum absq; prævia Dei concessione ne tantillum quidem contra Ecclesiam movere vel moliri possint, sed est sapientissimi, optimi ac potentissimi Dei omnia præscientis, Naturā potenter sustentantis, peccata liberè non coacte permittentis, justo judicio peccatorem deserentis eumque Satanæ tradentis, malis operib. & conatib. metas praefiniens & bonum ex illis infinità sua bonitate eliciens actio.

47. Paræus in Iren. cap. 24 p. 141. rectè scribit, Deum Adæ lapsū nec ignorasse, nec otiosè spectasse, nec ignoranter vel otiosè peccata alia, quæ fiunt in mundo permittere. Item, Deum Adæ lapsū, ut lapsū seu peccatum & subsequentia peccata, ut peccata non voluisse aut velle, h. e. non approbasse aut approbare, scivisse, tamen & volentem permisisse atq; permittere decreuisse, cùm impedire potuisse & posset. Hæc omnia rectè se habent, nec à nobis negantur.

48. Sed addit Paræus, Deum insuper ordinare, disponere ac determinare peccata ad certos fines, id v. ambiguè dicitur. Si n. eo modo intelligatur Deus peccata ordinare, quod ipse interius impulerit Adamum, ejusq; mentem inclinarit ad peccandum, ut ad finem divinitus sibi præstitutum pervenire posset, negamus Deum hoc sensu vel lapsū Adami, vel peccata reliqua ordinare. Si v. eo sensu intelligatur Deus peccata ordinare, quod ea, quæ Adamus liberè in suo lapsū egit, nullā sc. decreti alicujus absoluti necessitate ad ea cōstricetus vel interiore inclinatione efficaciter impulsus, quod inquam ea Deus ad fines salutares ordinaret ac direxerit, concedimus Deū hoc

hoc sensu & lapsu Adami & peccata reliqua ordinare. Duplex n.  
ratione diversorum objectorum statuenda est ordinatio, vel enim  
ordinamus ea, quæ nos fecimus, vel quæ alii fecerunt. Divina provi-  
dencia operatur & in suo quod fecit, & in alieno quod permisit. Vid. tract.  
de provid. § 138. ubi de voce inclinandi diximus.

49. 5. Quod necessitatem baptismi statuentes ac negantes li-  
beros fidelium antè Baptismum jamdum esse in Dei foedere, piis <sup>infantum</sup> Parentib.  
consolationem adimamus, quorū liberi absq; Baptismo <sup>non bapti-</sup>  
moriuntur. Calv. l. 4. Instit. c. 15. §. 20. Quantum damni invexerit dogma ~~zaterum~~,  
illud malè expositum, Baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadver-  
tunt, ideoq; minus sibi tacent, nam ubi invaluit opinio, perdiuos esse omnes,  
quib. aquā tingi non contigit, nostra conditio deterior est. quam veteris popu-  
li. sect. 22. non ideo baptizantur fideiū liberi, ut filii Dei tunc primum fiant,  
qui antè alieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius signo ideo recipiuntur  
in Ecclesia, quia promissionis beneficio jā antè ad Christi corpus perirebant.

50. Resp. 1. Nequaquam cum Pontificiis absolutam Baptismi  
necessitatem statuimus, sed distingvimus inter necessitatem ex  
parte Dei & ex parte nostri, inter casum privationis & viam ordi-  
nariam, inter infantes natos ex illis, qui sunt in Ecclesia, & natos ex  
illis, qui sunt extra Ecclesiam. Dicimus Baptismum esse ordinariū  
initiationis Sacramentum & regenerationis medium omnib. o-  
mnino etiam fidelium liberis ad regenerationem & salutem ne-  
cessarium, quo in foedus gratiæ recipiantur, & Spiritu S. donen-  
tur, interim tamen in casu privationis salvari Christianorum libe-  
ros, Parentum & Ecclesiæ precib. Deo oblatos per extraordina-  
riam & peculiarem dispensationem divinam, cuius sententia u-  
beriore explicatione & confirmationem suppeditat tract. de Bapt.  
§ 237. & seqq.

51. 2. Salutem igitur infantum exChristianis Parentib. natorū  
absq; Baptismo decedentium nequaquam negamus, nec, tamen eam  
ex sanctitate quadā, quam per nativitatem exParentib. sortiantur,  
deducimus, (cōtrarium n. ostensum fuit in tract. de Bapt. §. 212.) Sed  
ex peculiari & extraordinaria Dei cui piis votis & gemitib. com-  
mendantur, actione. Ex parte nostra obligati sumus ad Baptismi  
susceptionem, sed Deus suam gratiam & efficaciam non ita alli-  
gavit Baptismo, quin in casu privationis extraordinariè in infan-  
tib. antè Baptismum morientibus salutem operari & velit & possit.

52. 3. Nequaquam igitur piis Parentib. in tali casu necessariæ  
consolationis fundamenta subtrahimus, sed Adversari videant, ne

per hypothesin absoluti sui decreti certitudinem de salute infantum, tam baptizatorum, quam non baptizatorum in cordib. Parentum labefactent. Certè Petrus Martyr hac de re sic differit, ut incertos eos dimittat, sic n. scribit class. 4. Locor. com. c. 5. sect. 16. Neg. hæc à me dici eò putanda sint, q; omnib. pueris fidelium absq; sacramento decedentib. id policear. si n. id facere, temerarius haberi possem. Illos divinæ misericordiæ judicandos relinquo, cùm de arcana electione & prædestinatione mibi nihil constet, sed taniū hoc affero eos reverā servari, in quos elec̄tio divina incurrit, quanquā Baptismus nō intercesserit. Item. De hujusmodi parvulis bene spero, q; illos videā ex fidelib. Parentib. natos, quæ res habet nō vulgares promissiones, quæ licet nō sint generales, quoad omnes, attamen cùm nihil secus videā, de salute taliū infantium, par est ut bene sperem.

6. De negatione fructu ex usu sacrae Cœna.

53. 6. Quod statuentes etiam indignos corpus & sanguinem Christi in sacra Cœna percipere evertamus fundamentum consolationis, quam ex mandatione corporis & bibitione sanguinis Christi in usu sacrae Cœnae fideles percipere possunt.

54. Resp. 1. Quod indigni corpus Christi & sanguinem ejus in usu S. Cœnae percipient, ostendimus in tract. de Eucharistia §. 2 34. & seqq. ibidem q; argumenta contraria dissolvimus.


55. 2. Nec per hanc doctrinam tollitur consolatio, quam ex usu S. Cœnae verè pii percipere debent. Distinguendum n. inter mandationem ac bibitionem Sacramentalem, & inter mandationem ac bibitionem spiritualem, illa communis est omnibus ad sacram Cœnam accendentibus, hæc verò solis verè pii ac credentibus illa fine hac non est salutaris nec ad vitam.

56. Qvamvis v. Sacramentalis mandatio sine spirituali non sit salutaris, ex eo tamen nequaquam inferri debet, quod sit per se inutilis & supervacanea, distinguendum enim id, quod rei per se competit, & quod per accidens ei contingit. Sacramentalis mandatio per se & ex Christi institutione est organum ac medium, per quod fidem nostram vult augere, confirmare & obsignare, per accidens v. impiorum & hypocitarum culpā contingit, ut illis cedat ad judicium. Chrysost. hom. de prodit. Jud. circa finem. Sicut corporalis cib. cùm invenerit ventrem adversis humorib. occupatum lædit amplius, magis nocet & nullū præstat auxiliū: ita & iste spiritualis cib. si aliquē reperit malignitate pollutū, magis eū perdet nō suā Natura, sed accipienti visio. Atq; hæc de corruptelis Calvinianis dicta sufficient.


F I N I S.

D I S P. V.













# Farkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

